





16

1770, 23.

# QVAESTIO CONTROVERSA

A N

## NEC HODIE EX PRECARIO ACTIO DETVR

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREWNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBURG.

SOCIO

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

DIE IV. APRIL. ANNO C I O I O C C L X X .

P V B L I C E D E F E N D E T

IOANNES ANDREAS HEBER

ISLEBIENS.

---

L I P S I A E  
L I T E R I S R U M P F I I S .



CHRISTI CONTROVERSA

NICOLASI HIRSCHIO  
SCHOTO PETRI

CHARLES COLVAN COWDRAY

D CHRISTIANO HIRSI MESSING

ADDITIONAL LIBRARY

JOHN COOPER HENDERSON

PLATES

BY JAMES SAYER



AN

## NEC HODIE EX PRECARIO ACTIO DETVR.

### §. I.

Quamuis toties in iure Romano *aequitatis* mentio fiat diuersae a *iustitia*, neque negari possit, et actiones et alia remedia dari, quae in aequitate seu officio imperfetam causam habent atque fundamentum, tamen nemo, qui in ciuitate iustitiae administrandae veram notionem sibi comparauit, negare poterit, non omnem aequitatem cum iustitia confundendam, neque ex omni aequitate actiones vel alia remedia concedenda esse, cum iudex nec aequior lege, nec ea durior esse debeat. Hoc inde est, cum lex vel scripta, vel non scripta, non iudicis opinio de eo, quod sibi aequum videtur, quippe toties in constituendo aequo et errare potest et vere errat, normam constitutam, ad quam ex maiestatis voluntate suas actiones subditi componere tenentur. Rectus ergo mi-



hi quidem videtur BOEHMERVS de Actionib. Sec. II. Cap. V. §. 4. qui ex aequitate tunc actiones atque remedia concedit, quoties illa ipsa aequitas vel a lege civili, vel iure praetorio agnita et efficacia civili munita. Interdum tamen media data sunt praetextu aequitatis, vbi ipsa iusticia adest, ex qua actio dari posset, quod tamen externa interdum forma impedit negotii, quominus agendi formula praescribi Romano iure potuerit.

### §. II.

Patet hoc maxime ex Precario, quippe nisi ex dominio rem vindicaturus, rem precario datam repetere non potuisset a precario accipiente, nisi ex aequitate Praetor auxilium dedisset scilicet, interdictum de praecario, actionem vero ex precario ipso non habebat, quod et ipse PAVLVS in L. 14. ff. de precar. statuit. Dicit: *Interdictum de precariis merito introductum est, quia nulla eo nomine iuris civilis actio effet.* Quamuis enim VLPIANVS in L. 2. §. 2. ff. de precar. adfirmet, ut nos posse praescriptis verbis actione, quae ex bona fide oriuntur; tamen haec actio non speciatim in precarium concepta, sed in generalem causam praescripta formula do ut des, &c. Diximus ex aequitate auxilium dedisse Praetorem: testis est VLPIANVS c. l. qui ait: *Et naturalem habet in se aequitatem.* Sed quis non videt, hanc naturalem aequitatem nullam aliam, quam ipsam iustitiam, ipsamque ex naturali lege prouenientem obligationem quod et ipse VLPIANVS in L. 1. §. 1. ff. de precar. iuri gentium tribuit, in quo naturalem aequitatem deprehenderat.

### §. III.

At vero cum summa quaedam similitudo intercedat inter commodatum interque precarium, ex illo vero ciuilis actio data sit, videndum, quae causa sit, cur non aeque

¶ + ¶

5

que in hoc saltē actionis quaedam applicatio facta sit. Non enim inconsuetum est, vbi negotiorum similitudo intercedit, eademque ratio versatur, actionem directo in negotium unum conceptam ad alterum applicari, vnde *vtilis actionis* denominatio enata videtur. Maxime respiciendum erit ad differentiam, quae inter utrumque et commodati et precarii negotium intercedit. In hoc et commodatum et precarium conuenire, quod non tantum res vtenda detur, verum quod sic detur, ut non fiat accipientis propria, sed ut vtatur. Neque in commodity, neque in precario merces inferuerit, vtilis enim in utraque causa gratis conceditur. Et hic usque conueniunt. Sed differre scimus, non eo, quod in commodity tantum certus definitur vtilis, in precario non aequa; potius maxima differentia in ipsa ciuili forma atque causa quaerenda videtur. Commodity enim, cum contractu reali perficiatur, definitam suam habet substantiam: transfert ergo commodity perfectum ius vtendi commodity re in commodity, sive sibi acquirit obligationem, quae perficitur tradita re, ad eam restituendam finito vstu.

#### §. IV.

Sed longa aliter res comparata in precario. Quamuis enim et precario dans et accipiens consentire videantur in idem placitum, ut vtatur; tamen non ad veram conuentioneem, quae in uno perfectum ius, in altero perfectam obligationem produceret, retulerunt. Ipsum precarium ad liberalitatem solam dijudicarunt. Hinc et ipsius nominis ratio. Sic enim VLPIANVS in L. 1, pr. ff. de prec. precarium, inquit, est, quod precibus utendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit patitur. Comparant adeo cum donatione. Pergit VLPIANVS c. l. §. 2. Et distata donazione: eo, quod qui donat, sic dat, quasi tunc recepturus, cum se-  
bi



*bi libuerit precarium soluere.* Dein et PAVLVS L. 2. §. 2. eod. qui de precarii repetitione agit, ait: *est enim natura aequum, tam diu te LIBERALITATE mea vti, quam diu ego velim,* atque idem PAVLVS in L. 14. ff. eod. Magis enim ad donationes et beneficii causam, quam ad negotii contracti spectat precarii conditio. Iam concluso, cum intentio quidem sit, ut vtatur sed nullo perfecto iure constituto magis ex liberalitate, quae efficit, ut quandocunque placeat, dans reuocet; sequitur, ipsum precarium non habere ciuilem causam, nec formam, neque etiam ciuilem formulam seu actionem, quippe semper actionum formulae in perfectas obligaciones conceptae erant, nunquam in imperfectas seu folius humanitatis, nisi vel lege, vel edicto in perfectas obligaciones essent immutatae. Hinc nec actio ex promissio preario concepi poterat, quippe imperfecta ex haec promissione obligatio oriebatur, ob, quandocunque placaret, licet reuocationem, nec, dato preario, ad renocandum precarium, cum ciuilis forma in hoc liberalitatis genere plane deficeret.

### §. V.

Haec ergo causa, ut Praetor ob dantis intentionem in dando preario atque accipientis consensum in accipienda liberalitate extraordinariam actionem seu interdictum daret, per quod, cum inter restitutoria esset, praeciperet: **QVOD PRECARIO AB ILLO HABES, AVT DOLO MALO FECISTI, VT DESINERES HABERE, QVA DE RE AGITVR, ID ILLI RESTITVAS.** Hac formula, quae inter dantem atque accipientem dabatur, efficiebat, ut precarium dans rem preario datam ab accipiente, qui ius dicenti obtemperare debebat, reciperet.

### §. VI.

## §. VI.

Jam vero, cum illam, quam interdicta in iure Romano formam habent et rationem, vix hodie forum nostrum habeat atque ferat, oritur de illius applicatione utili quaestio. Obseruamus, dupliciti causam habere interdicta, vel enim causae cognitionem exigunt et dein interposito decreto alter condemnatur ad parendum, ut solet obseruari in interdicto uti possidetis, siue compares cum possessorio summarissimo, siue, quod rectius cum possessorio ordinario. Vel imploratione sola applicantur per praecelta seu mandata. Jam, si interdicendum de precario adhibendum, recte quaestio mouetur, utrum per formam actionis impetrato decreto applicetur, an vero, imploratione facta, praecetto de restituendo eius applicatio detur. BOEHMERVS de Actionib. Sect. II. Cap. IV. § LIX. Interdicti de precario, utrum adfirmat, si precarium sit liquidum. Sin aliorum indaginis praescriptis verbis agendum censet. Prius adseratum targior, quippe quod magistratus, si precarium statim sit liquidum, praecensis adeo poenalibus coercere queat ipsum rei precario datae possessorem ad eam danti restituendam. Cum enim nec apud nos perfecto iure vtatur liberaque semper sit danti reuocatio, nihil impediat, quo minus restitutionem tunc statim vrgere queat. At vero alterum adserum aliquo modo dubium. Verissimum quidem est, si incertum sit, an sit precarium, alterque excipiatur atque precarium esse neget, ordinaria via tunc procedendum, sed an actione praescriptis verbis, an apud nos potius condicione ex moribus agamus, de hoc disputari potest. Scimus enim actiones praescriptis verbis in formulis illis Praetoriis *de ut des. &c.* formam habuisse, cum apud Romanos ex nuda conuentione actio haberet non posset. Jam vero nos, qui omnem conuentionem etiam ciuiliter obligatoriam habemus in foro, dummodo non



non sit prohibita vel legibus et bonis moribus contraria,  
magis eo generali auxilio Praetoris nos haud egere censeo. Imo si ex vera actionum praescriptis verbis inde  
causa decidenda, affirmarem potius, plane nos his desti-  
tui actionibus et studio nimio atque amore iuris Ro-  
mani improprius tantum adhuc hodie appellari. Quae  
cum ita sint, putem potius nos ad conuentione respice-  
re posse. Cum enim, qui precarium ab altero accipit, ac-  
cipiendo consentit, ut reuocanti statim redditurus sit, qui  
consensus est ex ipsa precariori natura; nihil obstat, quo-  
minus dans ex conuentione contra eum, qui accipiendo  
precarium reuocationem et spontaneam tunc restitutionem  
comprobauerat, conditione ex moribus, aut si appellare  
sic placeat, conditione ex conuentione de precario expe-  
ri possit. Hoc eo magis verum erit, cum formularum  
Romanarum et solennium verborum usum ignoret nostra  
praxis.

### T A N T V M .



non

VD18

**ULB Halle**  
007 208 200

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



16  
QVAESTIO CONTROVERSA

A N

NEC HODIE EX PRECARIO  
ACTIO DETVR

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVSEVRG.

SOCIO

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

DIE IV. APRIL. ANNO C I C I Q C C L X X .

P V B L I C E D E F E N D E T

IOANNES ANDREAS HEBER

ISLEBIENS.

---

L I P S I A E  
L I T E R I S R V M P F I L I S .

